



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

2. De citationis requisitis: ut fiat ad instantiam partis, & mandato iudicis, ut contineat nomen & cognomen Iudicis, nomen & cognomen Citati, causam saltem in genere, locum iudicij, & diem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

quos Divini: inducta quando Deus cita-
vit Adamum post peccatum commissum,
dicēs, *Adam ubi es?* *Gen: 3.* quos refert Cal-
volus *in praxi §. citatio concl: 1.* Et ideò eâ
omissâ judicium redditur nullum. Est ci-
tatio actus legitimus, quo quis mandato
Judicis juris experiundi gratiâ in judici-
um vocatur. *L. 1. ff. de in jus vocando. L. 2. ff.*
si quis in jus voc. non ier. §. ult: Instit: de pæn:
tem: lit. Et vel realis est, vel verbalis: illa
per manus injectionem, & apprehensio-
nem personæ citandæ; hæc aut privatim
per apparitorem, vel literas, aut publicam
præconis vocem, tubam, campanam, aut
edictis legitimis fieri solet. *L. 8. C. quomodo*
& quando Iudex. Edictalis citatio tunc ad-
hiberi solet, quando aliâs quis citari neq̄t:
ut si locus non sit tutus, si non proprii ter-
ritorii, si remotus nimium, aut varius ubi
citand⁹ moretur, vel si ipse citandus sit va-
gabundus, aut impediatur ne citatio verba-
lis, vel p̄ litteras ad se venire possit. *Menoch:*
8. remed: q. 13. de recuperand: possess: n. 113. & seq.

2. Iterum citatio alia simplex, alia per-
emptoria: illa citatum non ante contu-
macem constituit, quàm si tertio & justo

intervallo, decem dierum in civilibus facta sit. *L. Tres denuntiationes. C. quomodo & quando Iudex.* Hæc simplices citationes ita perimit, ut in jus vocatum si præfixa die non comparuerit, contumacem constituat. *L. & tertium & L. nonnunquam ff. de jud:* Et quamvis antea per intervallum ad minus decem dierum singula edicta peremptoria citationum impetrari deberent. *L. per intervallum. C. de jud:* tamen hodie singulis citationum edictis necessarium esse intervallum 30. dierum constat ex *Authen: qui semel. C. quomodo & quando Iudex.* ita tamen ut Iudex pro qualitate personæ, temporis, loci, aliisque huiusmodi circumstantiis, & edictorum numerum, & eorundem intervalla necessitate postulante augere, diminuere possit. *ut L. nonnunquam in fine. ff. de jud: cap. consuluit in fine. de off: deleg:* Ut proinde & post peremptorium edictum absens ex benignitate Iudicis citari possit. *L. & post peremptorium. ff. de judic.*

3. Requisita ad citationem sunt 1. Ut fiat ad instantiam partis, nisi Iudex videret perire instantiam, quia tunc ex officio citare